

accingebant itaque viribus animis clerus et populus pluribus instrumentis veiculorum scilicet funium boum parium multitudine utentes . ceperuntque validis nisibus sudare pectoribus et brachiis . ut archam cum ignoto dono ad mare denuo revocarent . et suo velle a complacita loca protraherent . Sed quia omnipotens Deus . hanc in alium sui decoris locum mansuram esse disposuit que nuper levioribus pennis . super fluctuantia freta nataverat . tunc tanta tenacitate extitit poderosa . imo ita mansit . ut quemadmodum terre radicibus afixa . nullatenus ab illo ingenti agmine valuisset evelli . Cunque ad has difficultates laborare cessarent . operculum quod archam pretexerat . ut quod interius haberetur . aspicerent . sublevare nitebantur . Sed neque hoc agere omnimodo potuerunt . Cum tandem nec quicquam circa hec studia laborarent animi rationem nimia stupefacta vesperscente die ad propria redierunt . archa vero in eodem tumulto immota permansit . Post hec denique nocte insecuta quedam religiosissima vidua . astuta . die noctuque ad dei oraculum instanter permansura infra prefactum castrum babebatur . Que vero fertur vidisse sanctissime dei virginis speculum et in ipsa visione ita locutus est quidam dicens . Quare tantum moraris mulier . Ecce oratio tua ascendit ad supernos . sed festinanter surge . et descende ad inferiorem locum ubi marmorea archa requiescit . et adhibe tecum vaccas duas iuenculas que tibi per dei misericordiam concesse sunt . ut verum sit quod dictum est . virgo virginibus deportatur . Et cum veneris ubi immensum videbis honus . non titubes neque timeas . Sed vocibus eximiis . dei immensi auxilium proclama et has iuenculas ad submovendum marmoreum pondus leviter iunge . atque iungendo deum qui potens et fortis est exora ut per merita sacratissime virginis et martiris Christi eufemie intrinsecum latentis ad proximum requiei locum deferendum sua dextra sublevet . His et aliis multis quasi per somnium auditis religiosissima mulier celeriter expergefata . nihil comode hoc posse cogitans . sed provida et agnita ad omnia perficienda incessanter conata est . et accersito celestium virtutum . et terrenorum presidio et universo cetu flebiliter postulato . cepit satagere qualiter predictam archam secundum visionem apud signatum locum deducere potuisset . Cepit ergo ambiguo conatu quedam artificia construere . Sed cum ad summovendum marmoreum pondus funibus precinctum